

2001

## P O L E M I C I

2002

*aliud docet, quam quod habet verbum doctrine ipsius euangelice. plenum gratia et ueritate. gratia excitante ac roborante uoluntatem. ueritate illuminante rationem. gratia uoluntatem preueniente ac subsequente. ueritate rationem dirigente atque ducente in uiam pacis*

*ad patriam lucis eterne. in qua clare uidebitur et gustabitur summum bonum. quod est pater et filius et spiritus sanctus deus unus ac trinus. Ipsi gloria in secula seculorum amen. Intercepta est media haec Exhortatio miniato Disticho:*

*Leſta ſat eximia preſens hec philoſophia  
Doctrinae triplicem cuius preſtabit honorem.*

Quod rectius ad calcem *Dialogi Abaelardi* locandum fuiſſet; rō triplicem enim ad *Doctrinam trium Interloquentium* adludere uideatur.

## DXXII.

126 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 222. f. currente calamo ſcriptus continet *Farraginem Opusculorum Theologicorum* praecipue *Georgii Caſſandri* Belgae Theologi; pacis inter diſſidentes Eccleſias ſtudioſiſſimi, ſed, ut ſit, malam a Partibus gratiam meriti, qui ✠. Coloniae 1566. Ea hic ordine indicabimus. I. fol. 1. *Απογοεαρον* annotationum marginalium manu propria *M. Weſſeli* in *Librum Petri de Alliaco De poteſtate eccleſiaſtica, et in opusculum Gerſonis de indulgentijs*. Recenſum jam alibi.

II. fol. 2. p. 2. Articuli ſex *M. Henrici de Oyta* an. 1371. a *M. Adalberto de Bohemia* ad *Gregorium XI.* delati. Sunt uero: In graui peccato conſtitutum per opus bonum, ad quod

tenetur, nouum peccatum committere. Peccata dimitti a Spiritu ſ. non a Sacerdote. Doctum Confessarium non habentem iurisdictionem praefendum indocto habenti. Jure tantum humano et poſitio non poſſe quemuis a quouis ſacerdote abſolui. Vere eſſe praeeptum, quod alicui eſt uere conſilium. Praeeptum caritatis Dei perfecte poſſe in uia impleri. Subjicitur: *De his articulis poſt longam diſceptationem abſolutus fuit a quatuor cardinalibus, quibus pontifex totum negotium commiſerat.* Nihil de hoc negotio apud *Scriptt. Uniuerſit. Vienn.* in uita *Henrici P. I.* p. 58. ſed *Poſſeuius* in *Appar. ſac.* meminit *Articulorum* contra quendam *M. Albertum*, quem ego eum puto, de quo ad *Cod. DXLIII.* et *DXLVII.* dixi, quique cum *Henrico ab Oyta Pariſiis* aut etiam *Pragae* colluſus fuerit, antequam hic ad plantandum cum *Henrico de Haſſia* *Gymnaſium Vindobonenſe* euocaretur.

III. fol. 3. *Exemplum literarum ab Oxonio miſſarum de diſputatione*

2003

C O D I C E S

2004

tatione Thomae Crameri archiepiscopi nuper Cantuariensis, et Nicolai Ridleij nuper Episcopi Londoniensis et Hugonis Latemeri olim episcopi Wigorniensis. Scriptae sunt ab Homine acatholico, qui disputationi intererat, incipiuntque: Anno domini 1554. 21. Aprilis die sabbati Thomas Cranmerus sistebatur coram doctore Weston aliisque multis Oxoniensibus et Cantabrigiensibus doctoribus ad numerum 24. &c. Rem paene eodem modo narrat J. Strypius in *Ecclesiastical Memorials*, Burnetus in *Hist. of the Reformation*, alique Protestantium Autores.

IV. fol. 5. Ex Rationali divinorum Officiorum Guil. Duranti breve Excerptum de Carolo M. libros Ambrosiani officii comburente, quod habetur L. 5. c. 2.

V. fol. eod. Quæstio. An opera bona ad salutem sint necessaria. Incipit: Quod ad quæstionis hujus explicationem attinet, notandum est, primo necessarium multipliciter intelligi posse &c. Post varias distinctiones scholam utcumque sapientes bona Opera dicuntur media diuinitus instituta, sine quibus ad vitam æternam non peruenitur iuxta illud Christi, Si vis ad uitam ingredi serua mandata &c. Georgii Cassandri videtur meditatio.

VI. fol. 6. p. 2. Abusus circa inuocationem et cultum sanctorum etiamsi interpellatio seu inuocatio quodam modo recipiatur. Sunt numero IX. noti illi, faepius obmoti, et in rudiori plebecula, cujus potissimum erant, indies magis evanescentes. Adjectus est locus ex *Cosmodromii Gobelini Personae Aet. VI. c. 15.* quo autor sua de Catharinae Virginis vita et passione dubia proponit.

VII. fol. 8. Innocentii Tertii Vita continens quaedam a Platina prætermissa, quæ ad rerum gestarum cognitionem et operum eius intelligentiam faciunt ex fide dignis scriptoribus fideliter collecta. Addidit alia manus: Per Geor. Cassandrum. Excerpta est ex duabus Vitis, una Bern. Guidonis, altera Anonymi, quam Steph. Baluzius Epistolis Innocentii 1682. Parisiis editis præfixit. Utramque repræsentavit Lud. Muratorius *Scriptt. Ital. T. III. P. 1. p. 480. et 486.* Obitus vero Pontificis acceptus est ex Alberici Trium *Font. Monachi Chronico* ad an. 1216. edit. Leibnit. *Lips. 1698. p. 492. 4.* Vides, Msptos Codices Cassandro non defuisse.

VIII. fol. 12. Incipit liber ueteris testamenti, testimoniorum de Christo, a Candido scriptus et Regi Carolo missus. Præcedunt hunc Titulum versus:

Candidus hæc nobis inquit pulcherrima scripta  
Ad regem Christi Carolum porrecta serenum  
De nato Christo contra falsosque magistros.

Initium

2005

P O L E M I C I

2006

Initium Opusculi: *Gloriosissimo principi, excellentissimo Augusto victori Carolo Candidus salutem. Memini excellentiam tuam serenissime imperator, multa nobis adstantibus et seruientibus imperio gloriae vestrae dixisse saepius de abominationibus perfidiae gentis Agarenorum. Et ideo hoc tuam totiens recensere pietatem non ignoramus, quia sicut omnium, ita et illorum salutis curam gerere non omittit &c. Ait: jussum se ab Imperatore ex libris veteris testamenti collegisse testimonia, quae filium dei iam tunc predictum nullis (in illis) libris ostenderent, veniamque petit, si fors a communi interpretandi via subin deflexerit. Allatis dein expositisque Testimoniis concludit: Non ergo praedicamus nos Christiani plures deos sicut ille serpens introducere homini suadendo conatus est, sed unum deum scimus esse et scientes praedicamus patrem verbi et verbum et spiritum amborum &c. Hic ergo finis sit istius libri ut ab alio exordio ea quae dicenda sunt incipiant. Finit liber primus testimoniorum veteris testamenti de filio dei domino nostro Jesu Christo, continens prophetias de eo dictas ex libris quinque Moysi et Josue et Judicum. Plus in Codice non extat Operis, quod fortasse contra Mubamedanos primum fuit, si modo Candidus noster, aut Fuldenfis ille fuit scriptor Chronici et vitae Abbatum Bungolfi et Aegilis circa an. 820. cognomine Bruun, de quo Fabricius *Bibl. graec. L. V. c. 34. Denis Codd. Theol. V. I. P. II.**

et *Bibl. med. et inf. Lat. v. Bruun et Candidus; five Lindisfarnensis* Britannus ille circa an. 790. Presbyter *Alcuni in Galia* hospitio et amore fruitus, cujus operum jactura percussus *Job. Lelandus* exclamavit: *Pessime sit Danicis Piratis Lindisfarnensis Bibliothecae depopulatoribus!* ita ex ejus *Scriptt. Cat.* referente *Thoma Tannero Bibl. Brit. Hibern. p. 149.* An Opus alicubi productius, an Codex vetustior, cujus noster ἀπογραφοῦν est, etiamnum supersit, in magno Literatorum silentio ignorare me lubens profiteor. Posterioris *Candidi* Opuscula bina protulit *Pezius Thes. Anecd. T. I.*

IX. fol. 22. *Confessio Orthodoxa de Sacramentis*, cui titulo alia manu, quam *Georgii Cassandri* ex diversis stricturis margini adscriptis habeo, subjectum: *Agr. put.* Dimidias has voces, quae per Codicem frequentius occurrunt, ipsius *Cassandri* ψευδονομίας esse, ex adnotatione solertissimi *Tengnagelii* in margine N. XVII. invenio. *Veranii Modesti, Barth. Nervii, Czecanovii* nomina adsumfisse *Cassandrum*, norunt *Eruditi. Agr. Put.* aut *Pute.* vero quis *Oedipus* expediet? Ut enim *Georgius* (γεωργος) *Agricolam* det, nolim sane ad καοσμήν (*Meretricem*) recurrere, ut e vocibus *Puttana, Putain* aliquid exculpam. Rem itaque futuris *Placcii* in medio destituo, atque ad Codicem revertor. Incipit is: *Sacramenta agnoscimus esse signa sacrosancta, diuinitus a Christo instituta*

E e e

stituta ad designandam et suo modo conferendam gratiam spiritua-lem &c. Sacramenta per decursum proprie dicta tantum admittuntur duo: *Baptismus* videlicet et *Sacramentum Altaris*. Quod si quis *Poenitentiam* adjunctam velit, cum eo, subdit Autor, *odiosus contendere nolumus*. Tractatio ceterum tota ab Ecclesiae Romanae sensu abit.

X. fol. 26. *De vero et spirituali esu et potu corporis et sanguinis Domini, deque propria ratione ministerii verbi et sacramentorum, potissimum Eucharistiae, eius vero usu et abusu explicatio compendiaria. Agr. pute. Incipit: Ad intelligendam vim et proprietatem huius sacramenti Eucharistiae non parum facit, si vera ratio esus et potus dominicae carnis et sanguinis, quae res est et virtus huius sacramenti, recte intelligatur &c. Et haec Explicatio tota quanta Protestantibus favet, quod vel ex hac particula intelligas: Nec minus a vero legitimoque huius sacramenti usu recedunt, qui alteram sacramenti seu verius materiae sacramentalis partem, hoc est panis, qui una cum calice ad usum tantummodo distributionis sanctificari debuerat, idolum sibi faciunt, et adorationis cultusque instrumentum constituunt. Finit: Haec habui Vir ornatissime, quae de natura ac vi sacrorum potissimum Eucharistiae — breuiter et compendio dicenda esse putavi, quorum magna pars a nobis latius et fusius est explicata. Ubi, amabo? Non certe in Ope-*

ribus *Cassandri*, quae cura *Job. Cordesii*, aut *Cpb. Thuani Parisiis* 1616. f. lucem aspexere. Itaque *Cassandrum* oportebit aut simulatorem fuisse insignem, aut, pace Manium *Tengnagelii* dixerō, *Agr. Pute.* ad quemvis alium potius, quam ad illum pertinet.

XI. fol. 38. *Narratio de combusto Joanne Ostendano*, subiunctis ejus Responfis Magistratui *Antverpiano* datis, et Colloquio cum Monachis habito. Ex his patet, hominem cum in aliis, tum maxime in Articulo de *Cae-na Domini* cum *Zwinglio* sensisse. Erat aulaeorum textor, natus *Aldenardae*, atque inde ob aetatem, ut ait Noster, *quandam in publico comoediam lingua flandrica contextam, quae praesentis seculi abusus et mores notare insolentius videbatur*, exulare iussus *Antverpianam* venerat, ubi captus et an. 1551. XVI. *Octobr.* publice crematus est. Nihil de eo in *Ludov. Rabi Historia Martyrum*, sed fortassis *Textor* ille fuit, quem *Chronicon Antverpiense Lugd. Bat.* 1743. lingua flandrica 4. editum ad an. 1550. memorat, *Pistori Gandavensi Anabaptistae* ad rogam ducendo osculum et animos addidisse, subindeque captum eodem poenae genere obivisse.

XII. fol. 40. *Summa doctrinae quorundam hominum qui nunc Antverpiae et passim in aliquibus Brabantiae et Flandriae locis permulti reperiuntur, ac nunc Loistae ab auctore Eligio (Eloy) homine il-*  
literato

2009

P O L E M I C I.

2010

*literato et mechanico, nunc Libertini a carnis libertate quam illorum doctrina permittere videtur, appellantur. Summa haec est: Accumulant, ait anonymus Scriptor, magnam vim scripturarum, quibus Deus iudicium et damnationem minatur omnibus qui legem suam transgrediantur. His ex contrario opponunt promissiones diuinas, quibus Deus asserat se omnium velle misereri. Inter hanc itaque Iustitiae et Misericordiae collisionem quomodo eluctandum? Duplicem hominem ex Pauli C. VII. ad Rom. statuendo: animalem unum, exteriorem et carnalem, interiorem alterum et spirituale, illum peccare semper, hunc peccandi impotem, illum iustitiae, hunc misericordiae obiectum fore &c. Meminit hujus Sectae Chronicon supracit. ad an. 1544. aitque Authorem illius Eligium (de Schalidecker) opificio aedium lapide fissili instratorem 25. Aug. vivum exustum fuisse, fociis duobus Johanne Dorbaut et Cpb. Draut jam prius capite plexis, aliis in Angliam et quaquaversum diffugientibus. Addit, Lutherum ipsum monuisse Antverpianos, ut hunc Eligium Serpentem inter Anguillas (eenen Slang onder de Palingben) caverent.*

XIII. fol. 42. De Transubstantiatione. Ag. Pute. Incipit: *Vbi sunt diuersae ἐννεγεια ibi necessum est diuersas esse substantias siue naturas &c. Erudita tractatio est, sed impanationem docet, contendendo praecipue, ratio-*

*nem Signi ad Sacramentum necessariam per sola Accidentia, sublata panis et vini materia haberi non posse. An et hanc Cassandro dabimus? ὅτι ἰδιὸς ἰσχυρῶς*

XIV. fol. 48. De fractione panis. Ag. Pu. Initium: *In administratione huius diuinissimi sacramenti Eucharistiae eam formam quam Christus instituerit, et praescripserit, sequendam esse constat &c. Multis pro Fractione disputatis, impetitaque cum Transubstantiatione, tum forma Hostiarum in Ecclesia Catholicoromana recepta, concludit: Fractionem sane prorsus necessariam esse, ut sine ea sacramenti ratio non constet, affirmare non ausim — Verum hoc asserere possum eos, qui hanc fractionem exigunt, non temere et sine causa ad hoc induci, et eos, qui eam in usu habent, prudentissime et religiosissime facere &c.*

XV. fol. 54. Forma celebranda Dominicae caenae ad Christi institutum, Apostolicae et veteris ecclesiae consuetudinem et praesentis aedificationem accommodata. Ag. Pu. Invenitur ejusmodi ritus in antiquioribus Protestantium Liturgiis siue Agendis; ino Autor noster ad Ecclesiam Argentoratensem adpellat. Belgam se prodit ex infertis vernaculis: *Ic gbeloue in got Vader &c. Onser beere Jesu Christ &c.* Initium est: *Initio ingrediente populo cantores incipient canticum germanicum &c.*

XVI. fol. 56. Forma celebrationis Missarum seu dispensationis

*Eucharistia extracta ex Amalbario de officijs diuinis. Incipit: Episcopus de Secretario progrediens ecclesiam a leua ingreditur. &c. Extant Libri IV. Amalarii Chorrep. Metensis de Ecclesiastico Officio in Collect. Liturg. Melch. Hittorpii, et in Bibl. PP. Lugdun. T. XIV. p. 934. Synopsis haec adjungi poterat similibus aliis, quae in Opp. Cassandri impressis leguntur, sed Editoribus ignota fuerit.*

XVII. fol. 60. *Defensio Canonica auctoritatis, et catholicae traditionis de usu integri sacramenti Eucharistiae. Agr. Pute. Initium: Magna et odiosa contentione non nunc modo hac postrema mundi et ecclesiae aetate, verum iam inde a saeculis aliquot queritur et disceptatur, rectene dominici corporis et sanguinis sacramentum, recepto iam annos aliquot per Occidentis ecclesias more, sub altera tantum panis specie et a praesbyteris populo dispensetur, et a populo accipiatur &c. Magno conatu tractatum argumentum, nihilque tam e sacris Literis, quam ex omni antiquitate Ecclesiastica omissum ad constabiliendam Communionem sub utraque Specie. An et hanc Tractationem a Ferdinando I. Imp. invitatus susceperit Cassander. (Cassandri enim esse, ut supra dixi, ad marginem monuit Tengnagelius) non liquet. Illud certum, iisdem hic agi rationibus, quibus innititur Cassandri Consultatio de eadem Controversia, quam et separatim 1564. 8. et in Ope-*

*ribus ejus ad p. 1015. editam habemus.*

XVIII. fol. 116. *Quid sentiendum de ministerio et sacramentis pontificiorum. Ag. Pu. Initium: Synagoga Judaeorum quae et ipsa fuit ecclesia Dei aetate Christi et supra, imo iam inde a Judicum, Regum et prophetarum temporibus, multis modis fuit corrupta &c. Adferro hoc multa in luce collocato ita ad ἀποδοσιῶν transit: Videtur autem praesens ecclesiae status eam, quae erat Christi tempore synagoga imaginem prorsus referre. Atque hinc Ecclesiam Romanam acriter carpit. Inter cetera: Panem tantum magicis quibusdam susurris in corpus domini ut volunt transmutatum porrigunt. Quae, quomodo cum Cassandro Consultat. Art. XXIV. de Missa p. 991. in Consecrationis impugnatores scribente: Quod cogitatu horrendum est, eam Magiae, incantationis et praestigiarum insimulant, concordent, alii dispiciant. Atqui Tractatus Ag. Pu. praefert.*

XIX. fol. 124. *De praedestinatione et libero arbitrio. Ag. Put. Initium: De praescientia et praedestinatione dei duplex est sententia &c. Sincera Disputatio, Augustini vestigiis insistens, et Praefationi conformis, quam Cassander ante Honorii Augustodun. Dialogum de eadem materia Opp. p. 614. scripsit.*

XX. fol. 134. *Farrago de iustificatione. Ag. put. Incipit: Verbum Hebraicum צדק et הצדק nonnunquam etiam צדק quod La-*

*tini*

2013

P O L E M I C I.

2014

ini vertunt iustificare, ex consuetudine linguae illius significat iustum aestimare &c. Agitur hic etiam de Merito bonorum Operum, de Operibus Supererogationis, de Satisfactione, unde Autor ad Monachatum delabitur, quem penitus improbat. Ex quo facile conjici potest, quae et in praecedentibus ejus doctrina fit.

XXI. fol. 186. De humanis institutionibus seu Traditionibus. Initium: Tria obseruanda sunt in humanis institutionibus et regulis &c. Sex produntur Traditionum classes, quarum priores quinque probantur; ad sextam vero referuntur Pseudoparadoses et deuteroces pharisaicae, ut Differtatori sunt: Commentitium missae sacrificium, purgatorii incendium, sacerdotum celibatus &c.

XXII. fol. 189. De Ecclesia et Schismate. Incipit: Ecclesiam illam Christi immaculatam et omnis erroris expertem non esse alligatam Hierarchiae aut ordinariae potestati et successioni uel auctoritati gubernantium et obtinentium nomen ecclesiae, nec certo alicui loco, nec titulis, nec rebus ullis externis praeterquam scripturae sacrae et verbo Euangelij firmis rationibus demonstrare conabimur. &c. Contra Primatum Petri et Rom. Ecclesiae.

XXIII. fol. 204. An ad Regnum Christi spirituale res externae, hoc est, ordo ministrorum, lectio scripturarum, doctrinae, exhortationes, disputationesque ex

sacris literis ductae pertineant. Ag. Pu. Multis ultro citroque expensis affirmat ea ad regnum Dei pertinere, quatenus iis organis et medijs regnum suum in nobis conseruari fidemque nostram teneram et imbecillam nutriri et confirmari voluerit, quanquam haec omnia inania prorsus, nulliusque momenti sint, si efficacia spiritus deficiantur. Initium: Sunt nonnulli, qui quum audiant regnum Christi spirituale esse &c.

XXIV. fol. 210. De statu animarum post mortem. Incipit: Quis sit status animarum post hanc vitam usque ad diem magni iudicij, non inter omnes conuenit, eo quod scriptura obscurius ea de re loqui videatur. &c. Expofita de Purgatorio Ecclesiae Catholicae doctrina subicit: Hae sententia Christianis syncerore cognitione Christi iam illustratis admittenda nullo modo videtur.

XXV. fol. 214. Crisis acatholica in Articulos aliquot Mandati ecclesiastici Iohannis Ducis Cliviae an. 1532. Subditis propositi circa Sacramenta, officium Missae, Ceremonias, Sectas et Librorum lectionem, et an. 1533. innovati. Vituperatur maxime Missa, cultus SS. et Aquae Salisque benedictio.

XXVI. fol. 218. Quaestiones propositae Magnificis — Viris ciuitatis Coloniensis, asserentibus cum publice tum priuatim, cum scripto tum voce, retinere se, ac retinere velle doctrinam et

2015

C O D I C E S

2016

*ceremonias a temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei circa sacramentorum et praecipue sacrosanctae Eucharistiae celebrationem, quae in sacratissima Missa fit, obseruatas. Ag. Pu. Sunt Quaestiones ironicae numero XXVIII. Catholicorum sic dictos Abusus impetentes, quas Cassander, siquidem is autor est, Coloniae degens nunquam certo in apricum proferre ausus fuisset. Exemplo fit ex brevioribus una: Tradere, quod Sacramenta ex sua vi citra fidem aut quemvis bonum motum utentis, modo ne obicem ponat, gratiam conferant, An hoc etiam ex temporibus Apostolorum est? Quae ultima verba in omni Quaestione inculcantur.*

Tractatus hi omnes, in quibus eruditionem nunquam, moderationem raro desideres, eadem manu descripti, aliaque, sed constanter eadem limati, si, ut multa suadent, *Georgium Cassandrum* autorem habent, aliter sane de viro sentiendum videtur, quam ii Literatores tradidere, quibus non nisi Opuscula eius *impressa* tractare contigit. Fallitur certe, ne quid aliud dicam, *Dupinius*, et *Job. Fabricius*, qui eum usque ad vitae finem catholicae Ecclesiae serio addictum fuisse perhibent. Id quod haecenus dicta liquido demonstrant. Quam vero a Protestantibus gratiam inierit, vel ex iis licet aestimes, quae de eo *Calvinus* in *Resp. ad Balduini Convicia*. 1562. p. 5. 4.

DXXIII.

Codex chartaceus germ. Sec. 148 XVI. Folior. 66. f. ita inscribitur: *Diaphora Rei Ecclesiasticae. Vnder schid zwischen den vnainigen Partbeyen der strittigen Religionsfachen, diser bösen Zeit. Scriptum εἰσεννοιον dicatum Ferdinando I. Regi Rom. ejusque mandato confectum. Dedicatio data est Moguntiae 25. Febr. Anno MDLVI. multumque celebrat Ferdinandum tanquam eum, dem ieziger Zeit das schwere last des nottleidenden Christenthumbs bertiglich auf dem Hals ligt, der vassit allain alle Principalen des Cristlichen Namens bewegt, treibt vnnnd anbellt &c. De tempore suo dicit Autor: Ich habe nunmalls vill Jarlanng vernomen, wölch ain Zettergeschrai vber die Abusus gebet. Das, wenn Ainem das Maull aufgeet, so ist Misbrauch Misbrauch. Distincturum se in Opere suo inter Catholicum et Pontificium. Vnder dem Tittl Bäßtisch begreiffe ich nur die Misbreuch vnnnd beschwörung, daruber alle Welt clagt, Nicht das dise Allesambt von Bäßsten herkbomen, Sondern weil solcher Vnratt in die Kbirchen vnder Irem Regiment, oder auch Zulassung vnnnd Vnsorge kbomen ist, am maiffen bei newlichen Zeiten, da Vigor Apostolicus in denselbigen seer abgenomen, vnnnd ardor mundi huius zu gröblich eingeriffen. Pin sonst diesem Namen nichts zuentgegen. &c. De se*